





1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.



DE

1781, 10.

CRIMINE CONNIVENTIAE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IOSIA LVDOVICO ERNESTO
PÜTTMANNŌ

P 452.

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. PROFESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XXX. MAII MDCCLXXXI

H. L. Q. C

DISPV TABIT

CAROLVS CHRISTIANVS PFAFFIVS

LIPSIENSIS

LIPSIÆ

EX OFFICINA BVSCHELIA.



DE

CRIMINE CONNIVENTIAE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRÆSIDIO

IOSIA LVDOVICO ERNESTO

PVTMANNNO

A. V. D. TIT. DE Y. S. ET M. I. PROFESSOR ORDINAR.

REG. NON COLLEGIATOR ASSASSOR

A. D. XXX. MAII MDCCXXXII

H. L. G. C.

DISSEVTABIT

CAROLVS CHRISTIANVS PRAEFIVS

EPHORSIS

APRILIS

EX OFFICINA BASTENELL



VIRIS
MAGNIFICIS, ILLVSTRIBVS
EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS
CONSULTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS
CIVITATIS LIPSIENSIS
C O N S V L I B V S
PROCONSVLI, AEDILIBVS
SYNDICO, PRAETORIBVS
RELIQVISQVE
S E N A T O R I B V S
PATRONIS
SVMMO OPERE COLENDIS
SACRVM.

VIRIS

M. A. G. R. E. G. O. R. I. I. E. L. Y. S. T. R. I. B. V. S.

E. X. C. E. L. L. E. N. T. I. S. S. I. M. I. S. A. M. P. L. I. S. S. I. M. I. S.

C. O. N. S. U. L. T. I. S. S. I. M. I. S. P. R. O. D. E. N. T. I. S. S. I. M. I. S.

C. I. V. I. T. A. T. I. S. I. P. S. I. E. N. S. I. S.

C. O. N. S. U. L. T. I. B. V. S.

P. R. O. C. O. N. S. U. L. T. A. D. I. L. I. B. V. S.

S. Y. N. D. I. C. O. P. R. A. E. T. O. R. I. B. V. S.

R. E. N. O. V. I. S. O. V. E.

S. E. N. A. T. O. R. I. B. V. S.

T. A. T. I. O. N. I. S.

S. A. M. M. O. O. T. T. E. R. E. C. O. R. P. O. R. I. S.

S. T. A. T. U. S.



VIRI MAGNIFICI

ILLVSTRES, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI

PATRONI SVMMO OPERE COLENDI

Et si apud aequos rerum aestimatores veniam facile inueniunt,
qui magnorum virorum ambiunt benevolentiam, iisque stu-
dia sua probare cupiunt, numquam tamen, quae mea timiditas
est, hisce litteris Vos interpellare Vobisque libellum hunc acade-
micum offerre ausus essem, nisi ceteris illustribus virtutibus Ve-
stris haud minorem comitatem Vestram ac indulgentiam esse no-
vissem. Hoc igitur animum mihi addidit, vt Vobis, Viris omni
laude ac praedicatione maioribus, innotescere cupiens viam ad
Vos affectare, Vestraeque imprimis tutelae me commendare su-
stineam, plane persuasus, si Vobis haud displicuerim, non esse,
quod

quod cuiusquam iudicium aut reprehensionem pertimescam. Suscipite ergo, quaeso, has plagulas oculis commiuentibus atque propitiis, meque insigni Vestro favore haud plane indignum iudicate. Ego sane felicissimum me existimabo, si Vos, tanti Viri, me in posterum dedititii saltem loco habueritis, Deumque O. M. supplex rogo, ut Vos non modo splendidissimis familiis Vestris, sed vniuersae etiam ciuitati ac patriae per longissimam annorum seriem saluos, sospites atque incolumes praestet. Hoc fouet, hoc optat

VOBIS

VIRI MAGNIFICI

ILLVSTRES, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI

LIPSAE,

A. D. XXV. MAII MDCCLXXXI.

deditissimus cliens

CAROLVS CHRISTIANVS PFAFFIVS.

DISSERTATIO
DE CRIMINE CONNIVENTIAE.

Quemadmodum Theologi multa de peccatis vulgo haud satis cognitis disputant, adeo ut haud defuerint, qui integros ea de re libros conferberent, ita in Ictorum etiam commentariis quaedam occurrunt delicta, quae vulgo talia esse haud existimantur, interdum etiam ab imperitoribus in virtutibus numerantur. Ita scilicet fieri solet:

— — vitii vocabula recti

Indimus, et parci cognomen sumit avarus,

Naturae pudet, atque habitat sub pectore caeca

Ambitio, et morbum virtutis nomine iactant.

Exempla eiusmodi delictorum si quis audire cupiat, ei praecipue silentium, intempestivam misericordiam, conniventiam nominaverim.

Notum quippe est, in crimine perduellionis non modo factum puniri, sed in eos etiam animaduerti, qui improborum consiliorum conscii ea deferre atque ita detrimentum a rep. auertere neglexerunt. ¹⁾ Haud minus propter crimen blasphemiae non modo plectitur is, qui ipse in Summum Numen conuicia sparsit, sed ille quoque, qui audita magistratui haud denunciavit. ²⁾

Intempestivae misericordiae elegans exemplum VLP. nobis suppeditat in l. 7. pr. D. de pos. Si hominem, inquam, apud se depositum, ut quaestio de eo haberetur, ac propterea vinctum vel ad malam mansionem extensum sequester soluerit misericordia ductus, dolo proximum esse, quod factum est, arbitror, quia, cum sciret, cui rei pararetur, intempestivae misericordiam exercuit, cum posset non suscipere talem causam, quam decipere. Eiusdem delicti apud nos rei sunt, qui inquisitis custodiae ipsorum demandatis elabi-

A 2

bendi

¹⁾ Vid. N. H. GVNDLINGII Singular. ad L. Maies. itemque de silentio in hoc crimine. Halae 1721.

²⁾ Conf. Ord. Pol. an. 1661. Tit. 3. in Cod. Aug. Tom. I. p. 1566.

bendi potestatem faciunt, atque ita, quominus iusta ab iis poena sumi possit, impediunt. ³⁾

Quid? quod haud desunt, qui osculationem adeo inter delicta referre haud dubitent. Ita celeberrimus iuris criminalis interpres, PHIL. MAR. RENAZZI, Italus, *Elem. Iur. Crim.* ⁴⁾ Lib. I. p. 209. scribit: *Oscula (scilicet libidinosa), quae fere praeludia sunt omnium criminum venereorum, ipsa sola peculiare crimen constituunt, quo irretiuntur, qui suavia rapiunt figuntur mulieribus, intellige inuitis* ⁵⁾. Inuitis, inquit. Quidni interdum etiam volentibus? Quis enim nescit, turpem vasalli cum domini uxore lusum feloniae speciem esse feudique amissione puniri? Ita scilicet legimus *I. Feud. 5. Si fidelis cucurbitauerit dominum, i. e. cum uxore eius concubuerit, vel concumbere se exercuerit, aut cum ea turpiter iuserit, — iure feudum amittere censetur* ⁶⁾. Turpes autem inter lusum haud iniuria etiam refertur osculatio libidinosa, s. id, quod veteres vocabant *columbari*, quod verbum legere est apud SENECAM *Ep. 114.*

Et quid? Si ille, qui mulierem impuro intuetur animo, culpa haud vacat, ⁷⁾ nonne reprehendendus videbitur, qui, etsi adulterium haud perpetravit, id tamen fecit, sine quo ad illud vix pervenitur, quodque delictum ipsum praecedere solet? Sapienter legislatores id etiam vetant ac prohibent, quod quasi in confinio facinoris positum est, quo scilicet fines ipsi eo sanctius custodiantur ab iis, qui sibi plerumque plus, quam per leges licet, indulgent.

Sed mittamus haec, mittamus silentium, et, quam nonnulli loco haud suo s. intempestive exercent, misericordiam. De conniventia quippe in praesenti exponere nobis animus est, i. e. de crimine non modo admodum frequente, sed ita etiam comparato, ut haud parum inde detrimenti

³⁾ Vid. *Art. 180. CCC.* et *Elem. nostr. iur. crim. §. 135. seq.* itemque I. F. RHETII *diff. de misericordia intempestiva.*

⁴⁾ Quorum *Lib. I. et II. prod. Romae 1773. et 1775. 4.*

⁵⁾ Osculum virgini mulierive inuitae oblatum in urbe Neapolitana capite, extra urbem arbitraria poena lvi, SC. GENTILIS *de iurisdic. III. 34.* refert. Sed haec forte olim, ut de proverbio dicitur, priusquam THEOGNIS nasceretur.

⁶⁾ De osculo libidinoso, domini directi vxori a vasallo oblato, tanquam specie feloniae, vid. CRAGIUS in *Iur. Feud. III. 5. 26.* et I. H. SCHWARZII *diff. de feloniam vasalli ex causa adulterii et stupri (Lips. 1731.) pag. 12. seq.*

⁷⁾ S. Matthaens *Cap. V. v. 28.*

trimenti ad rem publicam redundet, ad quod intelligendum profecto haud alia re, ac auribus et oculis opus est. Quoties enim non alter alteri aut dicit aut factis significat: *Caecus sum tibi, ut mihi sis vicissim, Haud video egomet ipse, ut tu itidem haud videas.* Ita enim solent, qui aut scelorum suorum aut imbecillitatis suae memores aliorum timent iudicium, eamque ob causam lubenter alienis vitiis noctem et tenebras obiciunt, ut alii vicissim ipsorum paedorem eo patientius sentiant et perferre haud dedignentur?). Crimen autem magnum coniuventiam esse, nemo profecto iure inficias iuerit?). Si quis tamen in dubium vocare hoc audeat, et mox illustre illud, quod in sacris litteris (*Reg. Lib. I. Cap. 2.*) legimus, exemplum in memoriam reuocabo. Facile *L. B.* intelliges, sermonem mihi esse de *ELI*, Dei quondam sacerdote, diligente ceterum ac sedulo, eiusque filiis, quorum peccata atque delicta nimia ille perferebat indulgentia, adeo ut tandem Summi Numinis ira non modo in eius filios, sed in ipsum etiam excandesceret. Breuiter ac concinne idem memorat Pontifex *INNOCENTIUS III.* in cap. 37. *X. de Simon.* his verbis: *Licet Heli, summus sacerdos, in se ipso bonus existeret, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, et in se pariter et in ipsis animaduersionis diuiniae vindictam excepit, dum filius eius in bello peremissus ipse de sella corruens fractis uentribus exspirauit.* Quae cum ita sint, laborem, spero, haud frustraneum suscipiam, si quae mihi de crimine coniuventiae eiusque variis exemplis et poenis in mentem uenerunt, breuiter edisseram.

A 3

Atque

8) Apposite *HORATIUS Sat. I. 3.*

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,

Postulat, ignoscat verrucis uisus. Aequum est,

Peccatis ueniam poscentem reddere rursus,

nec non SENECA in Agamem. v. 267.

Det ille ueniam facile, cui uenia est opus.

Plura in hanc rem dabit *I. H. MEIBOM.* in *Maecnat. p. 137.*

9) *Et qui fontem absoluit, et qui infontem damnat, utrumque aeque detestatur Ioua. Prouerb. XVII. 15.* Bene *S. AVGVSTINVS* in c. 24. *Caus. 23. qu. 4.* *Molestus est medicus furenti phrenetico et pater indisciplinato filio: ille ligando, iste caedendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant et perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelitas est.* Similiter fere *F. G. PESTEL* in *fundam. iurispr. natural. p. 167.* *Rediturus ad frugem erat iniustus, si citius vindicem manum sensisset. Impunitus mala malis cumulare pergit. Magna poena fuit, non puniri.*

Atque, vt a verbi notatione incipiam, *connuere* proprie nihil aliud est, ac *palpebras oculorum alternatim mouere* ¹⁰⁾, quod fere faciunt, qui solem aut lucem ferre haud possunt; per translationem autem significat *quasi non videre, quod tamen videas, aut visum dissimulare*, sicque sumitur etiam pro *patienter ferre rem, quam sentimus, etsi eam haud sentire simulamus* ¹¹⁾. Iam quilibet sponte sua intelligit, *connuentiam* videre dissimulantium et patientiam accommodantium per se innoxiam esse, et tunc demum in crimen abire, cum alicui necessitas aliorum peccata atque delicta, quantum in ipso est, impediendi legibus imposta est ¹²⁾. Quod si facere ille neglexit, quis quaeso dubitabit, eum alienae culpae participem fieri, scelerisque, quod impedire non modo potuisset, sed etiam debuisset, socium iure existimari ¹³⁾? Apposite SENECA *Trag. Troad.*

v. 289. *Qui non vetat peccare, cum possit, iubet*, ¹⁴⁾
 itemque CICERO *de Off. I. 7.* *Iniustitiae duo genera sunt: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus inferitur, si possint, non propulsant iniuriam. — Qui autem non defendit, nec obstitit, si potest, iniuriae, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat.* Etsi autem natura omnes inter homines cognationem quandam constituit, beneficioque

10) Oculi *connuentes* occurrunt in l. 4. §. 1. D. de manum. vbi ita VLP. *Verum connuentibus oculis credendum est, suis iuramentis eum redemptum, cum non iuramentis eius, qui eum redemit, comparatur; quo loco connuentibus oculis nihil aliud est, ac dissimulante.* Paulo aliter SCIP. GENTILIS *de aliment. cap. 20.*

11) Io. DOVIATIVS in Praenotion. Canon. I. 4. 17. *connuentiam* definit *tacitum quandam consensum eorum, qui, quod vetare possent, malunt tolerare.*

12) Qui delictum prohibere potest et non prohibet, iure civili non aliter, quam si prohibitio ad eius officium pertinet, obligatur. LEYSER. *Spec. 534. med. 10.* Nullum autem crimen patitur, qui non prohibet, cum prohibere non potest, l. 109. D. de R. I. quam bene explicatam dedit I. G. MARCKART *Probab. recept. lect. I. C. Part. I. p. 36.* Non PAULI tantum in l. 50. D. de R. I. sed saepe rationis vox est: *Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.*

13) Inter delictorum socios praeter consultores, mandatores, iubentes, comprobantes et opem ferentes, haud male RENAZZI *Elem. iur. crim. Lib. I. p. 137.* refert etiam eos, qui delicta impedire possunt et non impediunt.

14) Haud male P. SVRVS v. 85.

Bis peccas, cum peccanti obsequium accommodas, quod similibus veterum scriptorum locis illustratur in edit. P. SVRI, quae L. B. 1708. prod. p. 94. fatisque notum est vetus illud:

Peccare et peccato fauere perinde est.

etioque adfici hominem interest hominis¹⁵), hancque ob causam quilibet, si vocem naturae audire iusque cordibus hominum inscriptum sequi velit, ad opem aliis ferendam damnaque ab iis auertenda obligatur, leges tamen ciuiles ea in re cuiusque pudori nonnihil relinquunt, necessitatemque culpam impediendi alienam partim ad nonnulla tantum delicta, partim ad certas quasdam personas adstringunt; atque ita fit, vt conuenientia iis duntaxat in speciebus, quando quis crimen alienum auertere aut impedire et debuit et potuit, idque facere neglexit, congruis poenis coercenda sit. Quanam autem eae species sint, cum regula generali comprehendi haud facile possint, ex ipsis legum libris discere oportet.

Nihil iam de iis incommodis dicam, quae ex ipsorum Principum conuenientia nimiaque indulgentia sentire respublica potest, et, nisi historiae mentiuntur, reapse haud raro sensit. Pleni sunt omnium fere temporum annales, pleni eorum, qui regnorum fata et vicissitudines posteris prodiderunt, commentarii, pleni sunt, inquam, exemplorum, ex quibus discere, quam noxia reip. nimia quorundam Principum patientia fuerit, quilibet possit. Verissime P. SYRVS:

Iniuriam ipse facias, ubi non vindices;

Nisi vindices delicta, improbitatem adiuuas;

Qui dubitat vicisci, improbos plures facit;

Qui culpa ignoscit vni, suadet pluribus;

Socius sit culpa, qui nocentem subleuat,

Tam crudelitas est, omnibus, atque nulli ignoscere¹⁶.

Bene

15) L. 7. D. de seru. export.

16) Grauiter conuenientiam Ioui exprobrat HIPPOLYTUS ap. SENECA in Hippol. v. 668. seq.

— — *Magne regnator Deum,*

Tam lentus audis scelera? tam lentus vides?

Ecquando sacra fulmen emittes manu,

Si nunc serenum est? Omnis impulsus ruat

Aether, et atris nubibus condat diem,

Ac versa retro sidera obliquos agant

Retorta cursus. Tuque siderum caput,

Radiate Titan, tu nefas stirpis tuae

Speculare? Lucem merge et in tenebras fuge.

Cur dextra, Divum rector atque hominum, vacat

Tua, nec trifurca mundus ardescit face?

Quid?

Bene hoc intellexit DOMITIANVS, quippe qui teste SVETONIO in *Domitian. cap. 9.* fiscales calumnias magna calumniantium poena repressit, cuiusque ferebatur haec vox: *Princeps, qui delatores non castigat, irritat.* Vitio contra apud eundem SVETONIVM in *Claud. cap. 15.* vertitur CLAVDIO, quod caussidici eius patientia adeo abuti sint soliti, vt descendentem e tribunali non modo voce reuocarent, sed et lacinia togae, interdum vel pede apprehenso retinerent. In laudibus TRAIANI celebrandis cum versatur PLINIVS, alias inter virtutes comitatem etiam memorat cum seueritate, vt par est, coniunctam, Tu, inquit Panegyri. *cap. 38. libertis tuis summum quidem honorem, sed tanquam libertis, habes, abundeque sufficere his credis, si probi et frugi existimentur. Scis enim, praecipuum esse indicium non magni Principis, magnos libertos.* SEPTIMIO autem SEVERO; vt refert AVRELIVS VICTOR de *Cesar. cap. 20.* tanto domi forisque, vxoris, quam cognita etiam libidine reamque coniurationis retinuit, probra summam gloriae demserit. Ipse M. ANTONINVS Philosophus libenter repudiasset FAVSTINAM, quae conditiones sibi et nauticas et gladiatorias eligebat, nisi ipsum timor quidam, haud satis Principem decens, retinuisset. Fertur enim dixisse: *Si uxorem dimittimus, reddamus et dotem,* ceu CAPITOLINVS in *M. Ant. Philosoph. cap. 19.* memoriae prodidit ¹⁷⁾. Adeo scilicet verum est, quod iam ab aliis animaduersum et adnotatum, facilius gubernari regnum, facilius magnos duci exercitus, quam vni imperari vxori atque familiae ¹⁸⁾, verissimeque

PLI-

Quid? quod inde adeo occasionem, Deos esse, negandi captabant, cuiusmodi exemplum legere est apud eundem SENECAM in *Medea v. 1024.*

Per alta vade spatia sublimes aethere:

Testare, nullus esse, qua vcheris, Deos.

17) Nec silentio hic praetereundum, quod de eodem Imp. CAPITOLINVS scribit *cap. 29.* Crimini ei datum est, quod adulteros vxoris promoueret, Tertullum et Vtilium, et Orphitum, ad varios honores, cum Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit; de quo mimus in scena praesente Antonino dixit, cum stupidus nomen adulteri vxoris a seruo quaereret, et ille diceret ter Tullus, et adhuc stupidus quaereret, respondit ille, Iam dixi ter, Tullus dicitur. Et de hoc quidem multa populus, multa etiam alii dixerunt, patientiam Antonini incusantes. Similiter AVGVSTVS eos, quos ob adulterium filiae suae damnauerat, adeo non occidit, vt dimissis, quo tutiores essent, diplomata daret. SENEGA de *Clem. I. 10.*

18) Verissime CATO ap. LIVIVM 34. 2. *Si in sua quisque nostram matresamiliae ius et maiestatem viri retinere instituisset, minus cum vniuersis feminis negotii haberemus. Nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri hic quoque in foro obtinetur et calcatur, et quia singulas sustinere non potuimus, vniuersas horremus.*

PLINIUS l. c. Cap. 4. Enituit aliquis in bello, sed obsoleuit in pace: alium toga, sed non et arma honestarunt: reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit: ille quaesitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit: postremo adhuc nemo exstitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laederentur, itemque Cap. 83. Multis illustribus dedecori fuit aut inconsultius uxor adsumta, aut retenta patientius: ita foris claros domestica destruebat infamia, et ne maximi ciues haberentur, hoc efficiebat, quod mariti minores erant.

Sed cum in praesenti haud ideo calamum in manus sumserimus, ut de vitii quorundam Principum, legibus ciuilibus haudquaquam subiectorum, dicamus, sed eum potius in finem, ut de noxia ciuium parentiumque conuiuentia exponamus, age potiora, quae nobis se offerunt, exempla in medium proferamus.

Ac primum quidem conuiuentiae reus est praefectus militum aut exercitus ductor, quando nimia erga milites utitur indulgentia, itaque delinquendi occasionem ipsis subministrat. Arma alienasse, inquit PAVLVS in l. 14. §. 1. D. de re mil. graue crimen est, et ea culpa desertioni exaequatur, utique si tota alienauit: sed et si partem eorum; nisi quod interest: nam si tibiale vel humerale alienauit, castigari uerberibus debet, si uero loricam, scutum, galeam, gladium, desertori similis est. Tironi in hoc crimine facilius parceretur, armorumque custodi plerumque ea culpa imputatur, si arma militi commisit non suo tempore: quam in rem memorabilis est D. MARCI epistola apud VVLG. GALLICANVM in Auid. Cass. Cap. 5. reliqua: Auidio Cassio legiones Syriacas dedi, diffuentes luxuria et Daphnicis moribus agentes, quas totas excaudantes se reperisse Caesonius Vestilianus scripsit, et puto, me non errasse: siquidem et tu notum habeas Cassium, hominem Cassianae seueritatis et disciplinae: neque enim milites regi possunt, nisi in uetere disciplina. Scis enim uersum a bono poeta dictum et omnibus frequentatum: Moribus antiquis res stat Romana uirisque¹⁹). Taceo iam, multo maiora saepe fuisse damna, quae ex nimia praefectorum patientia indeque ortis malis militum moribus ad exercitus redun-

19) Seuerè conuiuentiam coercuit Imp. ALEXANDER SEVERVS teste LAMPRI-
DIO in uita eius Cap. 54. Tribunos capitali affecti supplicio, quod per negligentiam il-
lorum milites apud Daphnen luxuriati essent, uel per conuiuentiam seditionem fecissent
exercitus.

redundarent, quam quae vis hostium inferret, et haud raro eos, qui ferro vinci haud poterant, mollitiae atque luxuria cecidisse. ²⁰⁾ Adeo facilius est, viros fortes a voluptatibus vinci, quam ab hostibus superari.

Porro conniuentiae rei sunt *magistratus*, cum facinorosorum delicta haud vindicant, sed ea conniuentibus oculis impunita praetermittunt. Severe *Impp.* in l. 8. §. 2. C. ad L. *Iul. de vi publ. vel priu.* *Judicem vero nosse oportet, quod graui infamia sit notandus, si violentiae crimen apud se probatum distulerit seu omiserit, vel impunitate donauerit, aut molliorem, quam praesituumus, poenam protulerit.* ²¹⁾ Scilicet nihil in leges licet iudici, cuius est, ius dicere, non dare, leges interpretari, non condere. Plura hanc in rem dabunt H. OSTERDYK in OELRICH. *Th. nou. diff. iurid.* I. 2. pag. 474. ibique citati. Eodem pertinet, quod IVSTINIANVS ait in *Nov.* 77. cap. 1. §. 2. *Ipsè praefectus si inuenerit quosdam tale aliquid delinquentes (blasphemos), et vindictam in eos non intulerit secundum nostras leges, primum quidem obligatus erit Dei iudicio, posthaec autem et nostram indignationem sustinebit.* Haud male fortasse huc quoque retulerim rescriptum Imp. VALEN-

TINIAN.

20) Verissime IUVENALIS VI. 292.

— — Saeuior armis

Luxuria incubuit victumque vlciscitur orbem.

21) Apposite CIC. pro *Milon.* cap. 16. *Quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? et de Off.* II. 8. *Nisi multorum impunita scelera iulissimus, numquam ad vnum tanta peruenisset licentia: a quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos venit hereditas.* In eandem sententiam LVCURGVS ap. RUTILIVM LVRVM de *fig. sent.* p. 133. edit. *Ruhnk.* *Cum in sententiis ferendis nocentibus poenam remittitis, paratum vos improborum studium ad peccandum excitatis.* Nec male P. SYRVS:

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis,

itemque AVSONIVS *Ep.* IV.

— — Tu mitis et osor

Sanguinis humani condonas crimina nummis,

Errorumque vocas, pretiumque imponis abactis

Bobus, et in partem scelerum de iudice transis.

Graviter etiam CAROLVS V. Art. 150. CC. So geschicht auch viel, daß Richter und Urtheiler die Missethäter begünstigen, und ihre Handlung darauf richten, wie sie ihnen das Recht zu gut verlängern und wissenschaftliche Uebelschäter dadurch ledig machen wollen, vermeynen vielleicht etliche einfältige Leut, sie thun wohl daran, daß sie denselben Leuten ihr Leben retten. Sie sollen wissen, daß sie sich schwerlich damit verschulden, und sind den Anklägern verhalten vor Gott und Welt Wiederkehrung schuldig; wenn ein jeder Richter und Urtheiler ist bey seinem Eyd und seiner Seelen Seligkeit schuldig, nach seinem besten Versehen gleich und recht zu richten. De noxiis impunitatis vid. PAUL. RISI *Animaduersiones ad criminal. iurispr. pertinent.* *Mediolan.* 1768. et *recus.* *Tenae* 1770. Cap. 2.

TINIAN. et COLLEG. in l. 1. C. de fund. et salt. rei dom. Si quis ouium vel equarum greges in saltus rei dominicae alienus immiserit, fisco illico vindicentur. Quod si venalis procuratorum commuentia, ut id deinceps tentetur, admiserit, eos grauissimo iubemus supplicio subiacere. ²²⁾

Quid? quod Praefides prouinciarum non modo propriam luunt culpam, sed ipsis etiam, si quid uxores eorum commiserint, imputatur. Proficisci, inquit VLPPIANVS in l. 4. §. 2. D. de Off. Procons. Proconsulem melius quidem est sine uxore, sed et cum uxore potest, dummodo sciat, Senatium Cotta et Messala Consulibus censuisse, futurum, ut, si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur. Eiusdem S. C. T. meminit TACITVS Ann. IV. 20. his verbis: Messalinus Cotta censuit cauendum Senatusconsulto, ut quamquam insones magistratus et culpae alienae nescii prouincialibus uxoribus criminibus, perinde quam suis, pleterentur. Saepe enim fiebat, ut Praesidum atque Proconsulum uxores non modo prouinciales per maritorum nomen fallerent et circumuenirent, vexationesque et direptiones multas committerent, sed rebus etiam publicis nihilque ad se pertinentibus audacter se immiscerent. Nolo quidem eo referre exemplum uxoris PILATI apud S. MATTHAEVM Cap. 27. v. 19. marito in tribunali sedenti nunciantis: Nihil tibi rei sit cum innocente isto: multa enim hodie secundum quietem passa sum propter eum. Non possum tamen mihi temperare, quin hic repetam, quod apud MARTIALEM Epigr. II. 56. legimus:

Gentibus in Lybicis uxor tua, Galle, notatur,
Immodicae foedo crimine auaritiae,

itemque apud IUVENALEM Sat. VIII. v. 127.

Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in coniuge crimen,
Nec per conuentus et cuncta per oppida curuis
Vnguibz ire paret nummos raptura Celaeno:
Tunc licet a Pico numeres genus, altaque si te

B 2

Nomina

²²⁾ Similiter ferè IMP. in l. 5. C. de fund. rei priu. Vfus aquae, quae fundorum nostrorum utilitatibus seruebat, plurimorum dicitur usurpatione sublatum, idque procuratorum commuentia vel dissimulatione perfectum, ut agrorum fertilitas destituta nullos fructus cultoribus praeflet. Quia igitur satis iniustum est, statutum florentis ante patrimonii aridae sitis molestia fatigari, ad meatum pristinum vniuersum aquae motum, temporis praescriptione submota, praecipimus reuocari.

Nomina delectant, omnem Titanida pugnam,

Inter maiores ipsumque Promethea ponas.

De quocunque voles, proavum tibi sumito libro.

Quid igitur mirum, si vxorum culpae ipsis etiam maritis prouincias gubernantibus impudentur, idque eam maxime ob causam, quia nullus alias vexationum fuisset finis, et maritus, vxorem non modo ducens, sed eandem etiam secum in prouinciam aduehens, mores ipsius adprobasse censetur²³⁾? Eleganter PLINIVS Paneg. c. 83. *Eadem quam modica cultu, quam parca comitatu, quam ciuilibus incessu! Mariti hoc opus, qui ita imbuunt, ita insituit: nam uxori sufficit obsequii gloria.*

Sed nec illud ratione caret, quod CICERO in diuinat. in Q. CAECILIVM no. 35. scribit: *Ego etiam, quae tu sine Verre commisisisti, Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, cum summam ipse haberet potestatem.*

Praecipue autem eorum notanda magistratuum conniuentia est, qui lupanaria in ciuitate ferentes foedis libidinibus ianuam quasi aperiant materiamque nefarie subministrant. Equidem scio, haud deesse, qui in magnis praecipue vrbibus lupanaria ferenda, atque ita, vt aiunt, pluribus et malis minimum eligendum esse censeant. Quid? inquit, legitime, quod VLP. in l. 27. §. 1. D. de her. pet. refert, olim apud Romanos in multorum honestorum virorum praediis lupanaria exercita esse, itemque quod D. AVGVSTINVS de Ord. II. 4. ait: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus?* Tene latet, Athenis etiam vectigal meretricium in vsu fuisse, ipsosque Pontifices magnam e quaestu meretricio pecuniae vim corrasisse²⁴⁾? Haec omnia autem haudquaquam mouent, vt vel tantillum ipsis adsentiar. Quemadmodum enim bene monet PROCVLVS in l. 12. D. de Off. Praef. haud spectandum esse, quid Romae factum sit, sed potius, quid fieri debeat, ita, quod ad AVGVSTINVM attinet, aut ille talia scribens somniauit, aut, quod nonnullis suboluit, locus iste culpa doloue librariorum corruptus est. Exemplum, quod iactant, Pontificum neminem, sat scio, morabitur, qui nouit, fuisse adeo, qui nefandae veneris vsu quibusdam concederet, nonnullosque decem

²³⁾ Vid. G. VAN WESEL de sanctitat. iudicior. ab Impp. Rom. partim restitut. partim labefactat. in OELRICH. Thes. nou. diff. iurid. Vol. II, Tom. I. p. 291.

²⁴⁾ Conf. C. G. KOCH de obsc. Pontif. decim.

decem praecepta Dei in vnum, hoc scilicet *date pecuniam commutasse*²⁵⁾.
Iam alii recte monuerunt, eos, qui lupanaria ex vsu reip. esse contendunt,
nihil aliud velle videri, quam vt eadem lue et foedissimis morbis replea-
tur, vt vires ciuium frangantur, vt iuuentus vna cum bonis suis et patri-
moniis perdatur, vt mores denique publici corrumpantur²⁶⁾. Quae cum
ita sint, haud dubitamus tam peruerse sentientibus illud *IUVVENALIS*
Sat. XIV. v. 45. occlamare:

— — *Procul hinc, procul inde puellae
Lenonum et cantus pernoctantis parasiti!*

De coniuventia aduocatis haud commodanda ita *IMPP. in l. 6. C. de postul.*
Ante omnia vniuersi aduocati ita praebeant patrocina iurgantibus, vt non ultra,
quam litium poscit utilitas, in licentiam conuiciandi et maledicendi temeritatem pro-
rumpant: agant, quod causa desiderat, temperent se ab iniuria. Nam si quis
adeo procax fuerit, ut non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis
suae imminutionem patietur: nec enim coniuventia commodanda est, vt quisquam
negotio derelicto in aduersarii sui contumeliam aut palam pergat aut subdole.

Nec impunes apud Rom. erant magistratus sepulturam in vrbe fieri
patientes. *D. Hadrianus, inquit VLP. in l. 3. §. 5. D. de sepulcr. viol. rescrip-*
to poenam statuit XL. aureor. in eos, qui in ciuitate sepeliunt, quam fisco inferri
iussit, et in magistratus, eadem qui passi sunt; de qua lege vid. HERM. NOORD-
KERK Obs. Dec. Cap. 5. 27)

B 3

Magistra-

25) Vid. I. F. W. PAGENSTECHEI *Iurispr. Polem. p. 37. ibique citat.*

26) Conf. FALSTERI *Amoen. Philolog. III. 19.*

27) De sepultura in vrbe generatim vid. SLEVOGT. *diff. de sepult. in monasteriis*
et templis, I. HAGUENOT de noxia in templis sepultura, I. C. EHRLICH mors ex se-
pulcris, Halae, 1728. C. G. HOFMANN. Comment. de coemeteriis ex urbibus tollendis.
Franc. ad V. 1729. et recus. ibid. cura CEL. VHLII 1774. M. ALBERTI de salubri
sepulcrorum translatione extra urbem, Hal. 1743. E. MARET Memoires sur l'usage,
où l'on est, d'enterrer les morts dans les eglises et dans l'enceinte des villes, Diuioni 1773.
IOS. HABERMANN de innoxiiis sepultura. Erf. 1773. IOS. ALLEGANZA de se-
pulturis christianis, Mediol. 1774. ANONYMI Memoires sur les sepultures hors des
villes, ou pieces concernant. les cimetières de Versailles, Paris 1774. ABR. PERENOT
de prohibenda in vrbe et templis sepultura, in eiusd. Fasc. exercitat. qui prod. Groningae
1775. et P. A. LAMPE de noxis ex sepultura in templis. Argent. 1776.

Magistratibus crimen violatae pacis publicae haud vindicantibus mulctam 2000. marcarum auri puri praestituit *Conf. pac. publ. an. 1495. Tit. 8. vt alibi (Element. iur. crim. §. 204.)* iam monuimus. ²⁸⁾

Connuentiae rei fiunt etiam *verbi diuini ministri*, quando impios haud admonent, neque adhortationibus ad frugem reducere student. Ita enim interprete EZECHIELE *Cap. III. v. 18. Ioua: Cum ego impio mortem minatus fuero, si tu impium illum verbis non monueris, eius ab impio more suo auertendi gratia, quo viuat, ipse quidem impius sua culpa morietur, sed eius sanguinis poenas ego a te repetam.* Idem nonnumquam poenis quoque ciuilibus subiacerent, quando scilicet officii sui frustra admoniti Micionis agunt, et e. g. matrimonia in gradibus prohibitis contrahi patiuntur, aliaue ratione ad aliorum crimina caeci sunt, quod praecipue in his, quos *inspectores* s. *superintendentes* vulgo vocant, locum sibi vindicat. Sane in rebus etiam ad religionem pertinentibus opera danda est, ne in vitium libertas excidat. Etsi enim religio non vult cogi, nec facile cuiquam sentiendi libertas inuidenda est, nemo tamen, opinor, diffitebitur, maxime reipubl. nocere nimiam erga eos, qui in rebus ad sacra pertinentibus nouaturunt suosque errores in vulgus spargunt, connuentiam. Saepae, vt IUVENALIS ait *Sat. XIV. v. 109. nae nimium saepe! hic quoque*

Fallit — vitium specie virtutis et umbra. ²⁹⁾

Sed a personis publicis ad priuatas iam transeamus. Et hic quidem primo loco nobis se offerunt mariti, quibus volupe est, turpis lucri causa vxorum indulgere libidinibus, quique dulce dimidium sui cum aliis diuidere

28) Nec inter leges Saxonicas defunt, quibus magistrarum connuentiae graues praestituta sint poenae. Pertinent eo e. g. *Mandat. wegen Aufsuchung und Entdeckung auch Bestrafung des Diebs und Räubergesindels d. d. 14. Dec. 1753. § 4. Edictum monetar. d. d. 14. Maii 1763. §. 28. Mandat. de ludis vetitis d. d. 20. Dec. 1766. et Mandat. wegen Errichtung eines Sanitaetscollegii zur Verbesserung des Medicinalwesens d. d. 13. Sept. 1768. vt nihil iam dicam de aliis, Cod. Aug. eiusque Suppl. maximam partem infertis. Praecipue autem hic memorandum *Mand. d. d. 26. Nou. 1763. in S. C. A. Tom. I. p. 1222.* quod poenas iis etiam interminatur magistratibus, qui militibus fugam parantibus et desertoribus connuendo elabendi potestatem fecerint. Praecipitur enim, daß die Unterobrigkeiten, die hierunter conniviren, oder sich saumselig erweisen, mit einer Geldbuße von 400 Thalern belegen und überdieß zu Bestellung zwey anderer tüchtigen Mann angehalten werden sollen.*

29) *Conf. Diatr. quae sub tit. die Toleranz in ihre rechtmäßigen Grenzen zurückgewiesen* *Lipf. 1776. prod.*

dere turpe haud esse existimant. ³⁰⁾ De iis loquor, quorum vxores, vt HORATIUS *Carm. Lib. III. Od. 6.* ait, non sine consciis surgunt maritis,

— seu vocat institor,
Seu nauis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emtor.

Equidem scio, haud deesse, qui dicant, quemlibet iuri suo libere posse renunciare; innoxium esse, si quis patienter ferre velit *cornu indeclinabile*, nec nocere cuiquam debere mansuetudinem suam. Solem lucere, etsi innumeri luce eius fruuntur homines, vixque fieri posse, vt, quod multis placere queat, vni tantum placeat. Exempla proferunt haud hominum de plebe, sed virorum sapientiae laude conspicuorum, qui vxores suas cum amicis admodum liberaliter communicasse dicuntur. Quid? quod s. adeo AUGUSTINUM in partes suas vocant, qui *Lib. I. de Serm. Dom. in mont. cap. 16.* fertur scripsisse, posse causas existere, ob quas vxor pro marito ipsiusque consensu sine scelere cum alio consuescere videatur. Enimuero, quemadmodum regula illa, fas scilicet esse cuique statuere, velitne iure suo vti, an eidem renunciare, hac exceptione coercenda est, nisi salus reip. aliud postulet aut renunciandi libertas legibus circumscripta sit, ita exempla etiam eorum, quibus placuerunt cornua, nullius plane sunt ponderis. Quod autem ad s. AUGUSTINUM attinet, nequaquam ille exemplum in medium ab ipso prolatum approbat, sed nihil definiens in medio quasi illud relinquit, *Nihil*, inquit, *hic in alteram partem disputo: liceat cuique aestimare, quod velit: non enim de diuinis auctoritatibus deprompta historia est: sed tamen narrato hoc factō non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere viro iubente commissum est, quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.* Quaecumque autem D. AUGUSTINI aliorumque opinio fuerit, hoc certe constat et in dubium vocari iure haud potest, maximo pere interesse reip. recte se habere ciuium matrimonia, nullaque ratione fidem vacillare coniugalem. Verissime HORATIUS *l. c.*

*Fecunda culpae secula nuptias
Primum inquinauere et genus et domos:
Hoc fonte deriuata clades
In patriam popululumque fluxit.*

30) Similes illi, qui comperto stupro vxori illato dicebat:

— — *Pol me haud poenitet
Scilicet boni dimidium mihi diuidere cum Ioue.*

Quem-

Quemadmodum corpus haud valet, cuius aegra sunt membra, ita nec laborantibus aliqua parte civibus salua esse potest respublica. Qui autem bene constituta sit eius familia, cuius vxor omnibus aere mercabilis palam venalem habet pudicitiam? Ne bruta quidem animalia pullos alienos foetusque insitios et supposititios aut amant aut fouent, sed eos potius, quoad eius fieri potest, remouent atque eiiciunt. Qui quaeso maritus liberos, quorum patrem se haud esse aut certo scit aut saltem credit, tollat, foueat, amet? Stipes sit necesse est, qui volupe ducat, moechorum loco liberos alere adulterinos, et quos ipse haud genuit, in sinu ferre ac amore vere paterno complecti. Manet igitur hoc, felix esse haud posse matrimonium, vbi non sit

— metuens alterius viri

Certo foedere castitas,

nemoque, opinor, iam dubitabit, seuerissime vindicandum mariti lenocinium esse, ne scilicet vaga frenis remotis natura profiliat. *Mariti lenocinium*, inquit VLP. in l. 29. pr. D. ad L. Iul. de adult. lex coercuit, qui deprehensam vxorem in adulterio retinuit adulterumque dimisit: debuit enim vxori quoque irasci, quae matrimonium eius violauit. ³¹⁾ Lenocinii autem non modo reus est, qui lucrum disertis verbis sibi stipulatur, palamque vxoris vendit pudicitiam, sed etiam is, qui spe lucri, quodcumque tandem illud sit, oculis conuiuentibus vxorem patitur cum aliis consuescere atque moechari,

— — doctus spectare lacunar,

Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.

Male in historia audit GALBA quidam ob conuiuentiam, qua vxoris cum MAECENATE furtiuos amores sentire dissimulabat. Cum enim MAECENATEM conuiuio excipiens, eum in vxorem suam inflammatum esse, ipsis ex nutibus intelligeret, sensim caput, perinde ac si dormiret, demisit. Cum autem interea famulus ad mensam accedens clam vinum tolleret, protinus vigil ac oculatus, *Infelix*, inquit, an nesciebas, me soli Maecenati dormire? Haud minus turpiter ipse se dedit MAECENAS, AUGUSTO in mensa cum eius vxore,

31) Qui adulteram tenet, stultus et impius est. c. 2. *Caus. 32. Qu. 1.* CHRYSOSTOMVS autem in c. 4. *Caus. 32. Qu. 1.* Si quis vxorem suam inuenerit adulteram, et postea deinceps placuerit habere eam in matrimonio, duobus annis poeniteat, ideo quia cum adultera commissus sit, quae adhuc crimine suo non est purgata, aut abstineat se a matrimonio eius, donec expleatur satisfactio criminis poenitentiae suae, ideo quia post satisfactionem poenitentiae non meretur vocari adultera. Similiter, si virum suum vxor inuenerit adulterum, non ad imparia iudicatur.

re, TERENTIA, ludente, somno se oppressum simulans, cumque euocato AUGUSTO alius eadem familiaritate vti vellet, ioculariter inquires, *heus tu, non omnibus dormio*. Conf. GU. PANCIROL. *Thef. Var. Lect. II. 55. 1. H. MEIBOMII Maecenat. Cap. 21. et LEYSER. Sp. 588. med. 10.* Qui deprehensam in adulterio vxorem in matrimonio retinuerat, lenocinii crimen contrahebat. *l. 2. C. ad L. Iul. de adult.* Qui scit, vxorem suam scortari et tacet, lenocinium facit. Ita legitur in *Synops. Basilic. p. 128.* Ad diuortium a marito, qui ipse conuiuendo ansam adulterio praebeuit, agi haud posse, res ipsa loquitur. *Cum mulier, inquit SCAEVOLA in l. 47. D. sol. matr. viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur: cur enim improbet maritus mores, quos ipse aut ante corrupit, aut postea probauit? Nec hic tacendum, quod vlp. ait in l. 2. §. 3. D. ad L. Iul. de adult. Qui patitur vxorem suam delinquere, matrimoniumque suum contemnit, quique contaminationi non indignatur, poena adulterii non infligitur, et §. 6. Claudius Gorgus, vir clarissimus, vxorem accusans, cum detectus est, vxorem in adulterio deprehensam retinuisse, et sine accusatore lenocinio damnatus est.* Conf. B. BRISSONII *Lib. Sing. ad L. Iul. de adult. qui est inter Opera eius minora ab A. D. TREKELLIO L. B. 1749. edita pag. 216. et H. I. ARNTZENII Miscellan. Cap. 14.*

Bene autem habet, quod non quaelibet patientia maritalis, sed ea tantum, quae cum quaestus cupidine coniuncta est, legibus vindicatur. Tunc, inquit vlp. in *all. l. 29. pr. D. ad L. Iul. de adult. puniendus est maritus, cum excusare ignorantiam suam non potest, vel adumbrare patientiam praetextu incredibilitatis, et §. 4. Qui quaestum ex adulterio vxoris suae fecerit, plebitur: nec enim mediocriter delinquit, qui lenocinium in vxore exercuit. Quaestum autem ex adulterio vxoris facere videtur, qui quid accepit, ut adulteretur vxor. Siue enim facpius, siue semel accepit, non est eximendus: quaestum enim de adulterio vxoris facere proprie ille existimandus est, qui aliquid accepit, ut vxorem pateretur adulterari meretricio quodam genere. Quod si patiatur vxorem delinquere non ob quaestum, sed negligentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem positus videtur.* ³²⁾ Etli enim in *Ecloga Basilicor. Lib.*

32) LEYSER *Spec. 588. med. 11.* Impune sit viro, dum adulter cum vxore eius in conuiuio ludit, somnum fingere. Condonabimus marito dissimulationem. Ipse modo nihil faciat, quod adulterium iuuat. Nam, si quod eius factum concurrat, quamuis ipse nullum inde lucrum ceperit, leno est utique et puniendus, idque etiam congruit *Const. Sax. 29. P. IV.* Wo aber solches nicht um Geld oder Genieß willen geschehen, soll er mit

Lib. 60. p. 523. legimus, maritum, si vxorem patiatur delinquere non ob quaeftum, sed negligentiam, vel culpam, vel patientiam, vel credulitatem, in legem Iuliam quidem non incidere, sed verberatum relegari, indeque nonnulli colligunt, post VLPIANI tempora maritalem patientiam legibus Romanis feuerius vindicatam esse, huic tamen sententiae vel ideo subscribere haud possum, quia sic manifesto ius graecoromanum cum Iustiniano confunditur, et huic ipsi adscribitur, quod legislationi Iustinianae nequaquam acceptum ferendum est. Illud autem silentio praetermittere nequeo, legibus ecclesiasticis adulterarum maritos ordinari prohibitos esse. Sic enim legimus in *Can. VIII. Concilii Neocaesariensis*: *Si cuius vxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, fuerit comprobatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest. Quod si, in clericatu iam constituto eo, adulterauit, dato repudio dimittere eam debet. Si vero retinere eius consortium velit, non potest ministerium, quod suscepit, exercere.* Rationem huius prohibitionis si quis nosse cupit, is BALSAMONEM audiatur, ad *d. can.* haecce notantem: *Quae enim adulterium commisit, polluta est, quique cum ea se miscet, corpus unum cum ipsa fit, pollutionisque in posterum fit particeps. Qui vero pollutus, qua ratione diuinum suscipiet ministerium?* 33)

Sed quid quaeso de sequente dicemus specie? Infelix quidam maritus, cui non modo adultera viuebat coniux, sed cuius vicinus etiam proximus adulter erat, vxoris diffidens pudicitiae, impatiensque perpetui, in quo eam ob rem viuebat, timoris, vt certo tandem, qualem habeat vxorem, sciret, iter simulat, et quasi aliquot dies abfuturus domo proficiscitur. Mox autem vesperscente rediens coelo clamque aedes suas ingressus vxoris petit cubiculum, et per angustam, quae in ianua erat, rimam, quid agat Lucretia sua, emissitius oculis conspiciatur. Hic quidem homo misellus videt,

mit Staupenschlägen des Landes verwiesen werden. Ceterum bene obseruat LEYSER *l. c. l. 29. §. 4. D. ad L. Iul. de adult.* ad solos maritos, nequaquam ad parentes etiam pertinere, sed in his potius simplicem dissimulationem ac patientiam crimen esse poenamque mereri. Parentibus enim, inquit, et natura necessitatem imponit liberos bene pudiceque educandi, ac, sicubi opus est, corrigendi et castigandi, et ius civile propterea ius emendationis domesticae tribuit in *l. vn. C. de emend. propinqu.*

33) Quam feueri castitatis vindices veteres fuerint Germani, TACITVS refert in *Germ. c. 19. Publicatae*, inquit, *iniquis, pudicitiae nulla venia. Non forma, non aetate, non opibus maritum inuenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur*, ad quae verba conf. BERNEGGER *Quaest. Miscell. ex Taciti Germ. Qu. 106.*

det, vxorem vna cum vicino pessimo vno decumbere in lecto. Sed videt plus, et tantum, vt vere dicere posslet:

*Ipse miser vidi, cum memet abesse putares,
Heu vidi ipse oculis crimina vestra meis!*

Neque vero *επ' αὐτοφάσιν* ita deprehensos interrumpere, aut ipse acceptam vlcisci audet iniuriam, sed forum petens omnia, quae viderat, ne re minima quidem ommissa, iudici narrat, eiusque vindictam in vxorem malumque vicinum prouocat. Hi quidem ambo (tantus eorum erat candor!) absque ambagibus fatentur crimen, adeo vt iudex suum facere posslet illud SENECAE (*Oedip. v. 782.*)

*Teneo nocentes: conuenit numerus, locus,
Tempus. — — —*

Qualem quaeso eos L. B. tulisse putas sententiam? Formulam infra adscriptam inuenies. ³⁴⁾ Haud dubito quidem fore, qui dicant, maritum

C 2

ipsum

34) Hat Cajus, als er summarisch und artikelsweise vernommen worden, in Güte gestanden und bekant, daß, als am — Lucretia sich zu ihm ins Bette geleet, er — mithin das Werk der fleischlichen Vermischung mit selbiger wirklich vollbracht habe.

Ob nun wohl Sempron seinem Eheweibe die ihm erzeigte Untreue erlassen, und selbiger künfrig wiederum ehelich beyzuwohnen sich erkläret, hierauf auch die Strafe, welche Lucretia außerdem zu gewarten gehabt haben würde, in eine Selbbusse von 15 Thalern und 3 Wochen Gefängniß verwandelt worden, demnächst der von Inquisiten mit Lucretien begangene Ehebruch nicht ohne Sempron's Wissen geschehen, immassen dieser — selbst anführet, wie er in die Kammer, worinne sein Eheweib mit Cajus sich zusammengefunden, durch eine in der Kammerthüre befindlich gewesene Spalte hineinschauen können, und wahrgenommen habe, daß sein Eheweib sich zu Cajus ins Bette geleet, dieser — und solchergestat wirklich Unzucht und Ehebruch mit selbiger getrieben habe, und daß bey diesen Umständen Inquisit nicht mit der ordentlichen auf den Ehebruch gesetzten, sondern einer geringern Strafe zu belegen sey, es sich ansehen lassen möchte;

Dennoch aber und dieweil beyde Verbrecher den verübten Ehebruch und dessen völlige Vollbringung unberounden eingeräumt, immassen dießfalls sol. — ein vollkommen übereinstimmendes Bekentniß beyder Delinquenten vorhanden, die von Sempronem seinem Eheweibe beschene Remission aber bekantnen Rechten nach zwar feyer, keinesweges aber auch Inquisiten, als einer dritten Person, zu statten kömmt, hiernächst, wenn schon Sempron den gerügten Ehebruch wirklich vollbringen sehen, gleichwohl, daß solches mit seiner Bewilligung geschehen sey, um so viel weniger behauptet werden mag, da obbemelte Kammer verschlossen gewesen, und Sempron nicht hineinkommen können, auch, wie er sich — ausdrückt, damit kein Unglück vorgehen möchte, nicht hineinkommen wollen, im übrigen

bey

ipsum non modo simulato itinere suo furtiuis illis amoribus occasionem praebuisse, sed impedire etiam, si se adesse significasset, criminis perfectionem potuisse, et has ipsas ob causas aut adulterium hoc casu mitius puniendum, aut in maritum intempestiue tacentem simul animaduertendum fuisse. Neque vero haec tanti videntur esse momenti, vt alii sententiae locum facere debuissent. Ceterum etsi interdum accidit, vt vxor etiam mariti furtiuis indulgeat amoribus, ideo scilicet, vt hic vicissim ipsi caecutiati, atque ita locum inueniat, quod MARTIALIS *Epigr. XII. 58.* ait:

*Ancillariolum tua te vocat vxor, et ipsa
Lecticariola est: estis, Alauda, pares,*

haud tamen inuenimus, huic etiam muliebri patientiae certas in legibus poenas praestitutas esse.

Sed nec parentes, nimia erga liberos vtentes indulgentia, reprehensionem nostram effugient. De iis loquimur, qui vbique in ore habent illud TERENTII *Andr. V. 3.*

*Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri,
aut cum MITIONE Terentiano Adelp. I. 2. dicere amant:*

— — *Si quid peccat, Demea,
Mibi peccat: ego illi maxumam partem feram,
Obsonat, potat, olet vnguenta? de meo.
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum;
Vbi non erit, fortasse excludetur foras:
Fores effregit? restituentur: discidit
Vestem? resarcietur. Est, Diis gratia!
Et vnde haec fiant, et adhuc non molesta sunt.*

Quibus quidem hominibus vel solum illud summi sacerdotis, cuius iam supra meminimus, exemplum, si mens ipsis haud laeua esset, aliud suadere eosque

den diesen Verbrechen weder das zeitige Geständniß, noch Inquisirens vorheriger Lebenswandel die auf ersteres gesetzte ordentliche Strafe vermindert;

So ist Caius, daferne er auf seinem gethanen Bekenntnisse vor öffentlich gehegten peinlichen Halsgerichte nochmals freiwillig verharret, oder des sonst, wie Nichts, überwiesen würde, wegen des mit Lucretien begangenen und wirklich vollbrachten Ehebruchs etc. Nosti enim, Lector, reliqua. *Aspera sane verba!* Sed nunciatum mihi est, bonum illum scilicet virum caput adhuc saluum ac integrum habere.

eosque in viam reducere posset. Si verum est, quod ARNOBIUS *adu. Gent. Lib. IV.* scribit, eum, qui peccantem patitur peccare, vires subministrare audaciae; si haud fallit AGAPETUS *Cap. 28.* *Existima*, inquit, *perinde esse, delinquere et delinquentes non prohibere: nam etsi aliquis legitime se gerit et in republica rite versatur, tamen si tolerat eos, qui viuunt illegitime, apud Deum iudicatur socius et adiutor malorum; quis quaeso dubitabit, grauius peccare parentes, qui liberorum facinora conuiuentibus oculis intuentur eorumque sceleribus fenestram quasi aperiunt?*³⁵⁾ Bene VLP. in *l. 11. §. 4. D. de his qui not. de nuptiis intra tempus luctus initis sermonem instituens, Excusatur*, inquit, *qui iussu eius, in cuius potestate erat, duxerit, et ipse, qui passus est ducere, notatur. Vtrumque recte: nam et qui obtemperauit, uenia dignus est, et qui passus est ducere, notari ignominia; nec non in l. 13. §. 1. D. eod. Si quis alieno nomine bina sponsalia constituerit, non notatur, nisi eius nomine constituat, quem quamuis in potestate haberet. Certe, qui filium vel filiam constituere patitur, quodammodo ipse videtur constituisse, itemque in l. 19. D. eod. Nam alia autem notatur, quam ea, de qua pronuntiatum est, calumniae causa eam fuisse in possessionem missam: idque et in patre erit seruandum, qui calumniae causa passus est filiam, quam in potestate habebat, in possessionem ventris nomine mitti*³⁶⁾.

Eadem ratione interdum etiam domino imputatur, quod deliquit seruus, quem in officio haud satis continuit³⁷⁾. Eo pertinet, quod apud

C 3

VLP.

³⁵⁾ Sapienter ECCLESIASTICVS VII. 23. *Sunt tibi nati, eos doceto, eorumque ceruicem a pueris flectito*, itemque PAVLVS in *Epist. ad Hebr. XII. 11.* *Omnis quidem castigatio in praesentia non voluptatis, sed doloris esse cernitur: verum tandem salutarem iustitiae fructum reddit illis, qui per illam sunt exercitati. Nec male MVRETVS Var. Lect. VII. 4. An, si quis pater filium aut brachio, aut crure, aut aliqua corporis parte debilitet inutilemque reddat, teter et immanis habeatur, qui animum, quo nihil est diuinius, detorquebit, deprauabit, corrumpet; hunc lenem atque indulgentem putemus? Ego vero immitem potius et crudelem nominauerim, non hercule minus, quam si desipienti ac deliranti et mentis vitio mortiferum venenum petenti pro cibo praebet eique se nihil negare posse dicat. De crudeli parentum et praefertim matrum in liberis indulgentia multa egregia habet THEOD. SCHREVELIUS *Diatr. scholast. Tom. I. p. 159. seq.* Eandem grauius notat CL. I. T. KREBS in *Opusc. pag. 289.* et passim.*

³⁶⁾ Nec parentes filias rapti patientes poena carere voluit IUSTINIANVS in *l. vn. §. 2. C. de rapt. virg. Parentibus, (quorum maxime vindictae intererat,) si patientiam praebuerint, ac dolorem remiserint, deportatione plerendis.*

³⁷⁾ Bene CELSUS in *l. 38. D. de R. V.* monet, haud indulgendum esse hominum malitiis,

VLP. in l. 2. pr. D. de nox. act. legimus: Si seruus sciente domino occidit, in solidum dominum obligat: ipse enim videtur dominus occidisse; si autem insciente, noxalis est: nec enim debuit ex maleficio serui in plus teneri, quam ut noxae eum dedat, nec non in l. 3. D. eod. In omnibus noxalibus actionibus, ubicumque scientia exigitur domini, sic accipienda est, si cum prohibere posset, non prohibuit. Aliud est enim, auctorem esse seruo delinquenti, aliud pati delinquere, itemque apud PAVLUM in l. 45. pr. D. ad L. Aquil. Scientiam hic pro patientia accipimus, ut, qui prohibere potuit, teneatur, si non fecerit. Et quis nescit, nostro etiam iure (Decis. Elect. 79.) dominum exorto domesticorum culpa incendio ad damnum resarciendum teneri, si sciens frustra que admonitus famulos negligentius ignem habere passus eaque ratione ipsorum culpaeparticeps factus sit.

Neque silentio hic praetereundum est, quod de fratre parricidium haud impediende SCAEVOLA ait in l. 2. D. de L. Pomp. de parricid. Frater eius, qui (parricidium) cognouerat tantum, nec patri indicauerat, relegatus est.

Facit huc etiam l. 6. §. 8. et 9. D. de re milit. vbi ARR. MENANDER: Qui praepositum suum non protexit, cum posset, in pari causa factori habendus est: si resistere non potuit, parcendum ei. Sed et in eos, qui praefectum centuriae a latronibus circumuentum deseruerunt, animaduerti placuit. Add. GROTII I. B. et P. II. 21. 2. et PVFENDORFII I. N. et G. I. 5. 14.

Quid? quod haud defunt delicta, quae, a quocumque perpetrentur, haud impediuisse, si impedire potueris, culpa est. *Lege Cornelia*, inquit VLP. in l. 9. D. de L. Corn. de fals. cauetur, ut qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flauerit, falsi crimine teneri. Eadem poena afficitur etiam is, qui, cum prohibere tale quid posset, non prohibuit³⁸⁾.

Simi-

38) Nec tacendus hic est Art. III. CCC. vbi Imp. CAROLVS V. de crimine falsae monetae praecipiens in eos quoque vult animaduerti, qui temeratoribus monetae domum aut sinum praebaerint: Die ihre Häuser dazu wissenschaftlich leihen, inquit, dieselben Häuser sollen sie damit verwürkt haben. -- So aber mit der Herrschaft Wissen und Wissen des geschehe, so soll dieselbige Herrschaft ihre Münzfreiheit verwürkt und verlohren haben, qua de re dixi in Diss. de receptator, Cap. 9.

Similiter apud nos qui incendium futurum, cuius notitiam habebat, quantum in ipso fuit, haud impediuit, sed immemor moniti, quod est apud SILIUM ITALICVM (XVI. 611.)

— — *animunque nefas scelerare silendo*

tacuit, arbitrarie punitur. En verba *Edicti* die ohnmachbleibende strenge Bestrafung des vorsehlischen Feueranlegens betr. d. d. 16. Nov. 1741. §. 5. Diejenigen, welche von dergleichen Feueranlegen Nachricht bekommen, und solches nicht so fort behörig anzeigen, noch zu Erlangung solcher ruchlosen Leute behülflich sind, oder wenigstens alle diensame Mittel darzu an Hand geben, sollen, ob sie schon an der That selbst keinen Antheil genommen, noch darbey impliciret gewesen, mit harten und nach Befinden empfindlichen Leibes Bestrafungs, oder Zuchthausstraffen angesehen werden. Conf. C. L. CRELLII *Diss. de poen. silent. et conscient. delict. alior.* in *Diss. Crell. Fasc. VII. p. 1103.*

Sunt adeo, qui hodie in omnes delicta inprimis graua, cum possent, haud impediendes animaduertendum censeant, ita tamen, vt grauior poena maneat eos, quibus impediendi necessitas legibus discrete imposita sit, quam alios, ratione singulari ad delictum impediendum haud obstrictos. Vid. LEYSER *Spec. 113. med. 4 — 8.* BOEHMER ad *Art. 177. CCC. §. 7.* et QVISTORP. in d. *Grundf. d. Z. P. R. §. 61.* Qui potuit hominem liberare a morte, scribit I. P. KRESS. ad *Art. 177. CCC. reg. 4.* et non liberauit, eum (culpa saltem) occidit. Qui, inquis, ita? Audi qualeso SENECAM *Ep. 95. Omne hoc, quod vides, quo diuina atque humana conclusa sunt, vnum est; membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem et in eadem gigneret* 39). Conf. I. F. EISENHARTI *diss. de vera criminis socii notione*, in eius *Opusc. iurid. p. 69.* et quae diximus *Probabil. Lib. II. p. 136. seq.* Quin nec eos, qui mori cupientibus suppetias vel inuitis ferre negligunt, impunitos dimittit *Mand. Sax. die Rettung derer im Wasser oder sonst verunglückten Personen betr. d. d. 26. Sept. 1773. §. 4.* Also sind hingegen diejenigen, welche der im ersten §. dieses Mandats enthaltenen Disposition

39) Egregie OVIDIVS ex *Pont. II. 9.*

*Conueniens homini est, hominem seruare, voluptas.
Et melius nulla quaebruitur arte fauor.*

Nec male in c. 6. §. 2. X. de homicid. Illi etiam, qui non vt ferirent, sed vt percussoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentiam impedirentur, paulo minore debent poena multari; quia cum scriptum sit: qui potuit hominem liberare a morte et non liberauit, eum occidit, constat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios praestare venerunt: nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obuiare,

sition zuwieder handeln, sich in der ihnen anbefohlenen Hülfleistung säumig finden lassen, oder etwas vernachlässigen, mit nachdrücklicher, auch nach Befinden mit Leibesstrafe zu belegen. Neque id profecto iniuria. Fallit enim, si unquam, SENECA TRAG. in *Hippolyt.* v. 263.

*Haud facile quisquam ad vitam reuocari potest.
Prohibere ratio nulla perituum potest,
Vbi quis mori constituit, et debet mori.*

Sed nec impunis apud nos est nimia, qua quis erga mendicantes utitur, con-
niuentia, ceu docet *Edictum* die Versorgung derer Armen betr. d. d. II. Apr. 172.
Cap. II. §. 9. his verbis: Auf diejenigen Wirthe, so fremde Bettler annehmen, her-
bergen, und selbige nicht alsofort, da sie sich bey ihnen einfänden, der Obrigkeit zu
deren Arretirung anmelden, — hat jedes Orts Obrigkeit genaue und scharfe Obacht
zu haben, und wieder sie nicht allein nach Anleitung derer untern 16ten Sept. 1710.
und 14ten Dec. 1753. ergangenen Mandate und des Generalis v. 23. Febr. 1763. zu
verfahren, sondern auch von denenselben, wenn dergleichen Bettler und Landstreicher
bey ihnen, ohne daß sie solche gemeldet, angetroffen werden, — diejenigen Unkosten,
so auf deren Wegschaffung nöthig, einzubringen. Ceterum de mendicis institutis-
que ad indigentiam eorum subleuandam pertinentibus bene disseruit IVST.
MOESER in d. Patriot. Phantas. Part. I. cap. 10 — 12.

Agmen denique claudant ii, qui lenocinium in aedibus suis fieri patiuntur,
quibusque poenas haud leues minatur *Art. 123. CCC.* Dieselbigen boshaftigen
Kupler und Kuplerin, auch diejenigen, so wissentlicher, gefährlicher und boshaftiger
Weiß ihre Häuser darzu leihen, oder solches in ihren Häusern zu beschehen gestatten,
sollen nach Gelegenheit der Verhandlung und Rath der Rechtsverständigen, es sey mit
Verweisung des Landes, Stellung im Pranger — oder andern gesrafft werden.

Leipzig, Diss., 1781

ULB Halle

3

005 361 443





1784, 10.

DE

CRIMINE CONNIVENTIAE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IOSIA LVDOVICO ERNESTO PÜTTMANN

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. PROFESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XXX. MAII MDCCLXXXI

H. L. Q. C

DISPV TABIT

CAROLVS CHRISTIANVS PFAFFIVS

LIPSIENSIS

LIPSAE

EX OFFICINA BÜSCHELIA.



P 452.

